

stantiâ. Et Prop. 14. Prater Deum nulla dari, neque concipi potest substantia. Hinc Prop. 15. infert: *Quicquid est, in Deo est, & nihil sine Deo esse, neque concipi potest.* Tandemque Prop. 18. concludit: *Deus est omnium rerum causa immanens; non verò transiens.* Mens ejus est: DEum non esse causam rerum externam seu efficientem, extra se res producentem, sed internam, essentiam rerum ingredientem & intrinsicè constituentem. Quemadmodum Part. II. Schol. Prop. X. mentem suam ipse declarat: *Deus non tantum est causa rerum secundum fieri, ut ajunt, sed etiam secundum esse.* Quantumlibet autem Prop. XVI. Coroll. I. edicat: *Deum omnium rerum, quæ sub intellectum infinitum cadere possunt, esse causam efficientem;* ex integro tamen doctrinæ ejus systemate, ipsum ambiguitate terminorum ludere, ac captione ex æquivocatione Lectorem fallere velle, patet. Quâ enim ratione DEus ipsi rerum efficiens, & simul tamen immanens causa sit, ex sequentibus patebit, nimirum Part. II. Eth. Defin. 1. *Per corpus intelligo modum, qui Dei essentiam, quatenus ut res extensa (alio respectu eandem etiam ut cogitantem spectat) consideratur, certo & determinato modo exprimit.* Et Part. I. Prop. 25. Coroll. *Res particulares nihil sunt, nisi Dei attributorum affectiones, sive modi, quibus Dei attributa certo, & determinato modo exprimentur.* Quibus cum conferantur sequentes Part. I. Definitiones: III. *Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur: hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, à quo formari debeat.* IV. *Per attributum intelligo id, quod intellectus de substantiâ percipit, tanquam ejusdem essentiam constituens.* V. *Per modum intelligo substantiæ affectiones, sive id, quod in alio est, per quod etiam concipitur.* VI. *Per Deum intelligo ens absolute infinitum, hoc est substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam, & infinitam essentiam exprimit.* Per obscuram hanc esse Philosophiam, fatentur, quotquot eam refutare aggressi sunt, omnes, ac id meritò quidem. Quando tamen totum systema Spinozianum uno velut intuitu contemplamur, mens ejus huc redire videtur. Totam hanc universi hujus machinam, seu mundum in toto suo complexu spectatum, esse Deum. Et quoniam species rerum

rerum